



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Legatis, De Successionibus Ab Intestato, De Renvnciationibus

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. XXXIV. Romana successionis de Ambrosiis. An illa proprietas, quæ per parentem binubum reservanda est filiis primi m[a]trimonii, transmittatur per dictos filios, qui parenti binubo prædecant in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74076](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74076)

casibus æditis, five ex litterali sensu verborum, eorumque grammaticali significatione, quoniam principaliter spectandum est ad statum rerum, ipsius renunciationis tempore attento, aliasque circumstantias suadentes tam renunciantis quam renunciatarii verisimilem, ac rationabilem, beneque regulatam voluntatem non autem juxta consuetas insipiduras Collectorum, vel subtilitates Consulentium pedagogico more insilire in riguroso grammaticali sensu verborum, quæ frequentius manant, non à contrahentibus, sed à Notariis, qui etiam frequentius eorum significationem, vel sensum ignorant, isteque videtur verus, ac rationabilis modus decidendi has controversias.

R O M A N A
S U C C E S S I O N I S
D E A M B R O S I I S
P R O
F R A N C I S C A M O R E L L A
C U M
J O S E P H O M A Z O C C H I O.

Causa disputata coram A. C. S. opibus per concordiam.

An illa proprietate, quæ per parentem binubum reservanda est filiis primi matrimonii, transmittatur per dictos filios qui parenti binubo præcedant, in eos quorum favore per testamentum, seu alias dispositum sit, Et de cessatione dispositionis textus in l. *fœminæ* in iis, quæ pars binubus, non ex intestata successione, sed ex voluntate filii morientis obtinet.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
 - 2 **D**ispositio l. *fœminæ* procedit favore filiorum, quatenus matri supervivant.
 - 3 **L**imitatur si filij præmorientes decedant cum testamento.
 - 4 **R**eprobatur limitatio.
 - 5 **P**one secundo nubentium sunt correctæ quæ non concernant favorem filiorum.
 - 6 **E**xpenduntur doctrina super dicta reprobata limitatione.
 - 7 **D**e questione an filius possit privare legitimam matrem binubam.
 - 8 **Q**uæ sit differentia inter filium morientem ab intestato, vel cum testamento.
 - 9 **E**xpenduntur plura jura in hac materia.
 - 10 **E**xpenditur alter textus in hoc agitur vocè ponderari solitus.
 - 11 **D**e rationibus, quibus inniuntur tenentes limitationem.
 - 12 **D**e juribus pro regula limitatione ponderari solitis.
 - 13 **A**n promissa in dotem hereditate simpliciter, censetur de tota, vel de sola portione dotata.
- Card. de Luca P. 2. de Succell.

DISCURSUS. XXXIV.

Dominicus de Ambrosio Franciscæ vir, heredem instituit Julium filium, Annæ Fœlicis filie congrua dote relicta; Cum autem ad breve tempus sequuta esset mors Julii ab intestato, Franciscæ, Annam filiam maritavit Josepho, illi in dotem assignando hereditatem Dominici patris, cum suis oneribus, ac juribus activis, & passivis, talis qualis erat; Sequuta vero etiam morte dictæ Annæ Fœlicis abique prole, scriptis aequaliter hereditibus Franciscæ matre, & Josepho viro, orta est inter eos controversia coram A. C. super modo dividendi hereditatem, quoniam Franciscæ mater prætendebat, ut ista consisteret in sola medietate dictæ hereditatis Dominici, testatrici delata ex intestata successione Julij Fratris, cum alia medietas delata esset ipsi matri ex persona propria; E converso autem Josephus prætendebat quod integra hereditas prædicta data fuisset in dotem, ita matre se abstinentem à portione sibi delata, ut in filie dotatione concurreret; Quodque in omnem eventum, ubi etiam data esset in dotem sola portio propria, adhuc tamen altera portio matri delata, debebatur testatrici saltem in proprietate ob transitum matris ad secunda vota juxta dispositionem textus in l. *fœminæ C. de secund. nupt.*; Post aliquas autem disputationes habitas, liti finem dedit concordia, quam ego consului, ac facilitavi ex primo tamen motivo, potius quam ex secundo.

Quatenus igitur ad hunc secundum motivum pertinet; Dicebam scribens pro matre, ut non intrarent termini textus in l. *fœminæ Cod. de secund. nupt.* cum procedant ad favorem filiorum ex primo matrimonio superstitium, quatenus supervivant ex deductis per *Mart. decis. 22. n. 25. Fontall. de pactis claus. 4. glof. 9. par. 1. num. 16. cum seqq. Fab. de Ann. cons. 7. 4. num. 15. & seqq.* & communiter; Idque adeo verum, ut aliqui credant, ut sola mors civilis in proposito sufficiat ex deductis supra in *Romana successione de Comitibus disc. 30.*

Non negabant Scribentes in contrarium veritatem conclusionis, ubi filij primi matrimonij præmoriuntur ab intestato; Dicebant verò secus esse ubi moriantur cum testamento ex doctrina *Bolognini in addit. ad Matthesian. de success. ab intest. art. 2. principali vers. Item dubitari potest num. 22.*, quem relatis ejus verbis sequitur *Jo. de Garrib. in repet. Auth. ex testamento C. de secund. nupt. n. 79.* eisdemque referunt, & sequi videntur *Socin. jun. cons. 97. lib. 4. & cons. 71. lib. 2. Gabr. de 2. nupt. concl. 3. num. 31. Merlin. de legit. lib. 4. tit. 2. quest. 2. num. 13. Rot. dec. 201. num. 5. post eundem Merlin. de legitim. plenè Cammerat. respon. 4. 6. ex n. 84. eom. 1.*

Verum, etiam in sensu veritatis, dicebam id continere fallaciam manifestam, tam attentis auctoritatibus, quam rationibus; Attentis autem auctoritatibus juxta opinionem *Matthesian.* in specie sumant *Aretin.* in §. *preferuntur n. 8. vers. Item dubitari potest Instit. ad Tertull. Guliel. de Bened. in c. Raynutius verbo & Uxorem nu. 85. plenè Sanchez. de matrim. lib. 7. disput. 89. n. 37.* ubi pluribus fundamentis, ac auctoritatibus hanc dicit veritatem, rejecta contraria per ipsum relata *num. 79.*, atque omnium latius forte melius *Riminald. jun. cons. 505. num. 88. cum seqq.* ubi ex professo exminat articulum, ac reprobat *Bolognini. & Garrib. on.*, quem dicit in gravem errorem incidisse, atque hanc esse veritatem dicunt *Gutvier de Matrimonio cap. 109. num. 46. & Sperell. dec. 33. num. 12. & sequen.*, ubi quod

quod iniquum esset, ut mater privaretur hac proprietate, quam filii non essent habituri.

Idemque comprobant auctoritates generaliter firmantes, ut omnes pœnæ secundò nubentium ista præsertim intelligi debeant, quatenus redundent ad favorem ipsorum filiorum primi matrimonii superstitum, quo favore cessante remanent correctæ per jus canonicum, ut per *Bart. conf. 54. num. final. lib. 1. & in auth. ex testam. Cod. de secundis nuptijs, ubi Salicet. & ceteri Aretin. conf. 40. n. 4. Sanchez. dicta dist. 89. & alij per Castil. de usufructu cap. 2. num. 11. & 16. Bos. de matrim. cap. 11. n. 370.* ubi quod sufficit filios esse mortuos, antequam veniat casus restitutionis.

Ex conversò superius relatæ auctoritates exceptis *Bolognino, & Joanne de Garro nibus* habendæ non sunt in consideratione, ut potè non examinantes articulum, sed incidenter, seu relativè loquentes; Si quidem *Soccin. jun. conf. 71. lib. 1.* non facit ad casum, dum ibi ex filio defuncto fuerat superstes filius, ac respectivè nepos, in quem dicta proprietatis transmittitur, cum in proposito nepotes veniant sub nomine filiorum ex deductis per *Bur. & Add. dec. 82. Gratian. in addit. ad discept. 519.* atque idem *Soccin. conf. 97. lib. 4.* nihil firmat, sed solum dicit, quod secundum unam opinionem id prætendi potest, & *Gabr. de secundis nuptijs. concl. 3. n. 31.* est simplex relator tanquam adnotans in repertorio non examinando articulum, neque propriam sententiam interponendo; Et *Merl. de legit. lib. 4. tit. 2. q. 2. num. 13.* pariter loquitur incidenter, non examinato articulo, occasione tractandi de diversa questione, an ultimus filius primi matrimonii moriens testatus, excludere possit matrem binubam à legitima, in qua questione hic Auctor etiam satis æquivoce utitur, ac utrum habetur in *Bonon. sub tit. de legit. & de rationibus dist. 11. Et Rora dec. 201. n. 5. post eundem Merlin.* pariter id dicit incidenter ex auctoritate ejusdem *Merlini*, non examinato articulo ut potè ab eo casu extraneo, dum ex filia prioris matrimonii, quæ matri binubæ superstes etiam fuerat, supererat filia, & sic durabat favor filiorum, ac successivè pœna, undè propterea remanent solù dictæ auctoritates *Bolognini, & Gar.* quæ suffocantur ab aliis ex professo contrarium tenentibus ut supra.

Clarius verò, attentis rationibus, seu juris principiis, quæ in judicando, vel consulendo primatum obtinere debent; Eius enim inspectis evidenter liquet, Auctores prædictos solenniter æquivoçasse; Si quidem differentia inter filium prioris matrimonii morientem ab intestato, vel cum testamento ad illum solum effectum in jure consideratur, quod si condito testamento, filius matrem tunc vel postea binubam instituat, seu alias ad ejus favorem disponat, tunc illa succedit pleno jure, quamvis alij filij ejusdem matrimonii superstint, itaut non intret hæc pœna obligationis reservandi aliis filiis proprietatem, cum tunc mater capere dicatur, non à provisione legis tanquam mater, sed ex testamento, sicut quilibet extraneus; Idemque si dispositio sequatur inter vivos, ut expressè habetur in *auth. ex test. Cod. de secundis nuptijs. & in corpore unde sumitur in §. cum igitur auth. de non eligen. secundò aub. & in §. hinc nos auth. de nup.* Atq; in hoc consistit æquivocum, *Bolognini, & Garro.* se fundanti, um in differentia, quam lex constituit inter casum successione testamentariæ & ab intestato, quoniam vera quidem est differentia, sed ad diversum effectum ut supra; Ex ea rationis differentia quod quando mater succedit ab intestato, dicitur capere ex dispositione, & beneficio legis, à qua proinde

privatur, quando verò capere ex testamento, dicitur capere ex voluntate hominis tanquam extraneus, ut est communis sententia Legistarum in *dist. de secundis nuptijs.* de quibus bene *Gomez. ad leg. 14. Tauri num. 12. Sanchez. de matrimonio dicta lib. 7. dist. 89. num. 41. Alogr. conf. 49. num. 7. num. 13. plenè Bess. de matrimonio cap. 11. num. 376. & sequen.*

Prout æquivocavit etiam *Joannes de Garro nibus* super intelligentia aliquorum jurum per ipsum ponderatorum etiam in casu successione ab intestato; Ut enim magistraliter advertit *Bart. dicti conf. 54. lib. 1. num. final. & Aretin. conf. 40.* in hæc materia successione matris binubæ filio morienti ab intestato, tria jura habemus; Utrum est *Codicis in d. l. femine §. illud. & in l. finali. Cod. ad Terentia.* per quod disponitur matrem binubam succedere filio in solo usufructu cum obligatione reservandi proprietatem aliis filiis ex eodem matrimonio superstitibus; Alterum est jus *Atheniarum in §. cum autem aub. de non eligen. secundò nuptijs.* per quod corrigitur jus *Codicis*, atque expressè disponitur, matrem binubam, sive ante, sive post successione, secundum nuptias contraxerit, plenè jure succedere etiam in proprietate, absque aliqua obligatione illam reservandi aliis filiis ejusdem matrimonii quamvis superstitibus; Erectum demum est jus novissimum pariter *Atheniarum in §. hinc nos aub. de nup.* per quod, correcto dicto jure medio, fit reversio ad primum jus *Codicis* ut supra, quod litteraliter dictam proprietatem præterit aliis filiis, quatenus essent matri superstitibus, ideoque dictum jus novissimum nil disponit de novo, sed solum reintegrat primum jus *Codicis* in suis terminis prout loquitur.

Et quamvis ijdem Auctores profiteantur, utrum opinio clarè probetur per *tex. in §. primi §. si non dem vers. si verò non habuerit aub. de nup.* ubi disponitur omnibus filiis præmortuis, matrem istam habere suæ infelicitatis consolationem, ut bona rursus recipiat, si intestati moriantur, secus autem si condito testamento; Attamen hoc pariter est æquivocum magis solemne, quoniam hiæretus non loquitur de reversione illorum bonorum, in quibus mater filio prædefuncto succedat, sed loquitur de illa medietate bonorum ipsius matris, quam transire volens ad secundas nuptias, ad evitandam infamiam, aliisque pœnas, doctore tenebatur filius primi matrimonii, & sic de restituendo bona propria; quæ ex dicta causa jam perfectè, ac irrevocabiliter dictis filiis postea ante ipsam morientibus donaverat, undè propterea erret remanet clarus, Coadjuvante etiam dicta convenienti ratione correctionis omnium pœnarum, quæ non concernant favorem ipsorum filiorum ut supra.

Insuper quoque dicebam rationem ab eodem *Bolognino, & Garro.* ponderatam, quod licet hæres testamentarius representet personam filii, atque istius habeat voluntatem, quoniam etiam hæres ab intestato eandem personam partem, ac in omnibus representat, eandemque voluntatem habere dicitur, cum moriens ab intestato præsumatur voluisse ejus voluntatem accommodare dispositioni legis, atque testati eo modo quo lex testata fuit, ut sæpius *hoc tit.* occasione dispositionis statutariæ; Melior autem fuisset altera ratio favoris ita filio resulantis super facultate disponendi de hujusmodi bonis, atque personis ibi

De L. U. C.
de
Testamentis
et c.
9VI
9

visas gratificandi, sed sufficit dicere, quod id lex habere noluit in consideratione, dum est favor remotus, qui in effectu respicit extraneum, unde propterea cessat ratio, cui hæc pœnæ adjectio innixa est.

Ponderabatur in contrarium, quod iura prædicta prohibent matri, ne istam proprietatem alienare, vel dissipare possit, attributa licentia filijs bona alienata revocandi, unde inferebant illam censeri de hereditate ultimi filij mortis; Sed hoc erat pariter æquivocum, quoniam quicquid alij (sed male) dixerint, verius est filios huiusmodi bonorum alienationem revocare non posse, ipsa matre vivente, sed solum post mortem, quando factus sit casus conditionis, sub qua lex, iure cuiusdam fideicommissi per ipsam ordinati, eos vocavit, interim verò tali conditione pendente, dicuntur solum habere illam spem, quam fideicommissarius habet vivente gravato; Alias enim si filij in huiusmodi proprietate jus formale haberent, itaut de eorum hereditate dici possent, plura sequerentur firmanda, quæ tamen in iure non subsistunt; Primum scilicet quod mater moriens non possent in huiusmodi bonis aliquos ex filijs primi matrimonii gratificari, cuius contrarium est verius; Quodque filij possent huiusmodi proprietatem in vita distrahere, seu illa eaderet sub hypothecis per eos contractis, affectaque remaneret eorum creditoribus, quorum respectu nil interesset an decederet testatrix, vel intestatus, & sic verè ex pluribus, istud assumptum *Bolognini & Garroni* detegitur erroneum.

Difficultas autem erat in altero motivo facti, cuius ratione consulit concordiam, dum eadem mater, integram hereditatem simpliciter tanquam spectantem ad filiam, in dotem dederat, unde propterea si quod ius ipsi competeat, ita censetur remississe, præsertim pro iure, ac interesse viri foventis causam onerosam, & qui fortè alias abque tanta dote matrimonium non contraxisset; Quamvis enim scribens tanquam Advocatus dicerem, quod dictæ filia integra Domini patris hereditas competeret, sed diversis titulis seu respectibus, pro medietate scilicet ex tunc, & pleno iure, & pro altera medietate in spe probabiliter eventura iuxta naturæ ordinem, dum alias esset inducere in matre suæ portionis donationem adhuc invalidam ob non servatam formam Statutorum Urbis 149. & 150. Unde propterea deducebam receptas propositiones super donatione in dubio excludenda, quoties quicumque probabilis seu compatibilis intellectus dari potest; Nihilominus reflectendo ad veritatem id non satisfacerebat, quoniam non constabat, quod mater dictam hereditatem agnovisset, itaut bona pro sua portione essent sibi quaesita, quo casu dicta motiva rectè intrassent, sed potius agebatur de non acquirendo, atque ita declarando animum non agnoscendi, ad quem effectum dictæ solemnitates statutariæ non requiruntur, neque intrat dicta conclusio de donatione non præsumenda, & de capiendo quemcumque probabilem seu compatibilem intellectum pro eius exclusione, cum sic faciens de pauperari non dicatur, neque suum patrimonium diminueri, unde propterea omnia ea, quæ in iure in materia donationis habentur etiam inter prohibitos, puta inter coniuges, istum casum non percutiunt; Ideoque ex hoc motivo, quod mihi solum inferebat difficultatem, libenter consului concordiam, quæ controversiæ finem dedit.

Card. de Luca P. 2. de Succes.

VOLATERANA

SUCCESSIONIS

PRO

ILLIS DE BAVA.

Responsum pro veritate.

An parens binubus possit in bonis, quæ filijs a Statuto reservantur, gravamina apponere, & quæ; Et an possit nolle acquirere, ut ita faceret deteriores conditionem filiorum primi matrimonii, ac meliorem illam secundi viri, seu filiorum secundi matrimonii; Et incidenter de uxore relicta per virum usufructuaria.

SUMMARIUM.

1. *Acti series.*
2. *Bona materna de lata filijs a Statuto, habent naturam legitimam.*
3. *Ideo non minuantur per legata.*
4. *Neque per donationem inter vivos.*
5. *An hoc Statutum valeat utpote auferens facultatem testandi.*
6. *Facto testamenti est de iure postivum.*
7. *Potest mater non obstante Statuto non agnoscere.*
8. *Usufructuarius potest agnoscere legatum in solo usu, vel alimentis.*
9. *Usufructuarius non facit suos fructus nisi præbet cautionem.*
10. *An legatum usufructus relitum uxori, resolvatur in alimenta.*
11. *Prohibitus disponere, est prohibitus conferri, seu si confessio sit administrata.*
12. *De administratis.*
13. *Matri succedunt aequaliter, & in capita filij ex diversis matrimonijs.*
14. *Gravatus non potest pervertere ordinem successionis.*
15. *Statutum inductum ad favorem filiorum primi matrimonii, non debet operari odium.*
16. *Mater an possit plus dare filijs primi matrimonii.*

DISCURSUS XXXV.

Dissoluto matrimonio per obitum Bava, superstitis Michaelis Angelo unico filio, secundas nuptias contraxit Lucretia cum Gotto, qui etiam præmortens, superstitibus Catharina, & Ludovica, (quas scripsit hæredes) uxorem usufructuariam reliquit, quæ cum filiabus convixit; Ea verò mortens cum testamento, utriusque matrimonij filios prædictos in stirpes pro numero matrimoniorum hæredes instituit, hoc est in semisse unicum ex primo, & in altero duas ex secundo, inter quas, & filios dicti Michaelis Angeli, etiam defuncti, exortis controversijs; Cum dicta Lucretia in testamento mandasset, ne filia secundi matrimonii ex causa dicti legati usufructus à primo molestari possent; Hinc, stante loci Statuto disponente, ut mater binuba debeat æqualiter tractare filios primi, & secundi matrimonii, neque plus uni, quam alij de ejus bonis dotalibus, ac extradotalibus habere possent, pro veritate consulti sui, an potuerit testatrix